



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1658

§. 160. Hunc ergo titulum multitudine Iudæorum legerunt, quia prope Civitatem erat locus ubi crucifixus est Iesus. v. 20.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45556

natum, coronarum omni decore, floreque virtutum fulgidum. Ipse de se dicit: *Ego flos campi & lilium convallium*. Ecce flos in campo patenti, ad quem nemini accessus prohibetur. Ecce flos florum qui omnium in se florum perfectionem continet. Flos qui multos flores est producturus, rosas Martyrum, lilia Virginum, violas Confessorum. Ecce flos qui odorem succulsi reservat, & contritus accumulat, nec avulsus amittit, qui & mortuis æternæ vitæ odorem exhalat. Flos ergo iste regius omnia florida facit, omnia complet odore: etiam spinas, etiam crucem ita facit amabilem, ut de ea dixerit sponsa, odore eius attracta, *lectulus noster floridus*. Ipsius etiam odorem iam à longe perferentem Isaac dum dicebat, *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus*. Denique etiam Regem agnoscamus & fateamur. Hoc est Regem Iudæorum & Israelitarum sive credentium & confidentium. Si verè sumus filij Abraham & Israelitæ, ipse est Rex noster: nosque hic regere optat per spiritum gratiæ suæ & dominari in cordibus nostris, tandemque in societatem regni assumere æternam. Fiat, fiat.

§. 160. Hunc ergo titulum multi Iudæorum legerunt, quia prope Civitatem erat locus ubi crucifixus est Iesus. v. 20.

Cautè dicit sacer scriptor multos titulum legisse, quia non omnes didicerant literas eo tempore, nec omnes aderant, qui legere poterant. Non sic nostri temporis scoli, hi contendunt omnibus debere concedi ut legant Biblia, cum tamen omnes legere nequeant cæci & duces cæcorum.

EGo tibi Domine Deus habeo necesse gratias agere, qui me per parentum meorum curam eo direxisti, ut non solum legere, sed etiam hoc ipsum opus scribere didicerim, magnum est solatium scire legere, magnum etiam scribere nosse. Thesaurus est ingentibus gazis emendus.

§. 161. Et erat scriptum Hebraicè, Græcè & Latinè. v. 20.

Et istud, à Pilato excogitatum felicissime, à spiritu sancto inspiratum est, ut neminem eorum qui ad diem festum Hierosolymis convenerant, mors Christi lateret. Hæ enim tres linguæ, Latina, Græca & Hæbræa ubique terrarum usitatae erant eo tempore, uti communes linguæ. Sancitæ sunt ergo in cruce à Deo istæ tres linguæ, & electæ ut in eis divina fiant per orbem officia. & ideo eas semper magni fecit, facitque Ecclesia Catholica non quasi ipsæ sint Magistræ & reginæ veritatis, sed uti capsulæ quædam & capedunculæ quibus veritas asservari possit. quomodo ergo de capsula tolli potest gaza inclusa & eius loco reponi lapis & lutum, ita de Hebræa &

Græco